

n. 11. & alij, nisi singularem diligentiam promittit, & sic potest intelligi. L. 1. §. 35. ff. b. t. & ibi. *Garbofr.* abas potius absterrentur homines, quam allicerentur ad hoc charitatis officium. 3. Si ad hoc depositarius se obligavit. *Arg. c. 2. b. t. l. 3. tit. 3. p. 5.* N. m. ex partium conventionem contractus legem accipiunt. L. 1. §. 6. ff. b. t. Ex levisima culpa tenetur. 1. Si ad hoc se obligavit. L. 1. §. 6. ff. b. t. 2. Si ratione officij custodiam habere debet, ut Nauta, Caupo, Tabularius. L. 1. l. 2. ff. Nauta, Caupo, l. 26. tit. 8. p. 5. & ibid. *Greg. Lop. V. Culpa*, sed jam ex consuetudine non tenentur, nisi de custodia specialiter moneantur. *Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 27. n. 10. & alij.*

140 Ad casum fortuitum minime tenetur depositarius. c. 2. b. t. l. 1. §. 35. ff. eod. l. 4. tit. 3. p. 5. Nisi 1. ad ipsum se obliget. c. 2. b. t. l. 1. §. 35. ff. eod. & tunc etiam tenetur ad casum insolitum, nisi valde insolitus sit. *Arg. L. 78. §. fin. ff. de Contrab. empt.* 2. tenetur, si quidem fuit in mora culpabili restituendi. L. 12. §. fin. ff. b. t. l. 4. tit. 3. p. 5. quia mora sua cuiuslibet est nociva. c. 25. de Reg. jur. in 6. nisi eodem modo res esset peritura, etiam apud Dominum. *Gonz. in c. 2. b. t. n. 6. & alij.* 3. si dolus, & culpa precedant. c. 2. b. t. l. 32. ff. eod. l. 4. tit. 3. p. 3. Et quidem, ut ad casum fortuitum tenetur, debet precedere culpa lata, ad quam iuxta naturam contractus tenetur, alias etiam ex levi culpa teneretur contra contractus naturam. Et in l. 4. tit. 3. p. 5. additur, depositarium teneri ad casum fortuitum, quando depositum solum in gratiam depositarii factum fuit. Si Clericus, vel Religiosus sine depositarii, & eorum dolo, vel culpa res parat, si cum consensu Prælati, & Capituli depositum susceperunt, Ecclesia, vel Monasterium tenetur damnum rescire. L. 7. tit. 3. p. 5. ne alias deponens videatur ab Ecclesia deceptus contra c. 5. de Donat. *Gloss. in c. 1. b. t. V. Personæ, Barb. ibid. num. fin. Sanchez, in Decal. l. 6. cap. 14. & alij.* Si vero Clericus, vel Religiosus, sine consensu Capituli, etiam cum consensu Prælati: vel etiam ipse Prælati, sine consensu Capituli susceperunt depositum, ipsi ex dolo tenentur, non vero Ecclesiæ, quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ redundare non debet. c. 76. de Reg. jur. in 6. Si vero in Ecclesiæ utilitatem versum est, in id tenetur Ecclesiæ. c. 1. b. t. l. 7. tit. 3. p. 5. *Barb. in c. 1. b. t. num. fin. Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 27. n. 12.*

141 Deponenti, & ejus hæredibus contra depositarium, & ejus hæredes datur actio directa depositi ad recuperandam rem depositam; & quidem eandem in specie, nisi aliter sit conventum. L. 24. l. 25. §. 1. ff. b. t. l. 5. tit. 3. p. 5. vel si perijt, aut est deteriorata dolo, aut lata culpa depositarii: quippe tunc restituit pretium ejus, vel deteriorationis. L. 1. §. 16. ff. b. t. Etiam restitui deponenti debent fructus, omnique causalitas, & utilitas, & partus, L. 1. §. 24. ff. b. t. n. 5. tit. 3. p. 5. etiam debentur uluræ sine mora, & conventionione. L. 24. l. 25. l. 26. §. 1. ff. b. t. Actio doli, quæ competit deponenti, si res deposita perijt apud depositarium, potest remitti, quando est de dolo commissio, quia nulli juri opponitur: dolo committendus tacite remitti potest, remissa actione depositi, in qua actio doli clauditur. L. 27. §. 3. ff. de Pañ. Et quæ expressa nocentur tacita non nocent. L. 195. ff. de Reg. jur. Et quæ in consequentiam veniunt, non curantur. Expressa tamen conventionione nequit remitti, quia hæc impunitas, ad delinquendum invitaret: quod esset contra bonos mores, & publicam utilitatem. L. 1. §. 7. ff. b. t. Depositario, & ejus hæredibus contra deponentem, & ejus hæredes competit actio contraria depositi ad recuperandum damnum, quod occasione depositi passus est, & impensas in re custodienda factas. L. 5. ff. b. t. Utraque actio est bonæ fidei, civilis, personalis, perpetua, & rei persecutoria. Sed ob dolum condemnatus actione directa sit infamis. §. 2. *Inst. de Pañ. temer. litig.* secus condemnatus contraria actione depositi, quia non agitur de fide rupta, sed tantum de depositarii indemnitate. L. 6. §. fin. ff. de his, qui not. infam. Etiam si deponens aliquid debeat depositario, debet restitui res deposita, quin locus sit compensationi, aut deductioni cum alio debito, quantumvis liquido, ne quidem cum alio deposito, sed in hoc casu res deposita ab utraque parte ad invicem restituuntur. c. 2. b. t. l. 11. C. eod. l. 5. tit. 3. p. 5. & ibid. *Greg. Lop. Gom. 3. Var. cap. 7. num. 2. Barb. & Gonz. in c. 2. b. t.* quia cum depositum tradatur sub fidelem, & diligentem depositarii custodiam, si deponenti non restituat, quando illud reperit, contra fidem datam agi videbitur. In foro tamen conscientie potest depositarius depositum sibi retinere jure compensationis pro debito liquido, si aliter illud nequit consequi; dum tamen non timeatur scandalum, nec compensationi renunciasse, nec Judæ legitimus aliud præcipiat. *Less. de*

de Just. & Jur. lib. 2. cap. 27. n. 16. Potest depositarius retinere jure compensationis rem depositam, quotique ipsi solvantur impensæ necessariæ ab ipso in re deposita factæ; quia cum ipsi expensas consequi actione contraria depositi, jure compensationis eas habere potest. L. 18. §. 4. ff. *Commod. Gonz. in c. 2. b. t. num. 9. & fin. & alij.*

142 Quando in naufragio, vel incendio; v. g. non possunt simul res propriæ, & depositæ servari, si propriæ sunt pretiosiores, hæc sunt servandæ. Si utraque sunt æqualis pretij, & depositum solum in gratiam deponentis, vel etiam utriusque sit celebratum, propriæ sunt servandæ; charitas enim dicitur primum sibi, & deinde proximis prospicere. c. 9. 23. q. 5. si vero depositum in recipientis tantum utilitatem cedat, res alienas propriis debet præferre, quia ad custodiam exactissimam tenetur, sicut commodatarius, qui proinde nullam compensationem exigere potest à domino rei servatæ pro damno, quod in re propria passus est, ut commodatam pretiosior rem salvaret. L. 18. ff. *Commodat.* si res depositæ sint pretiosiores, eas debet servare, sicut res proprias pretiosiores servare, nisi jacturam notabilem pateretur, & non sit moraliter certus, se earum pretium à deponente, cujus negotium utiliter gessit, posse recuperare: nemo enim intendit, se obligare ad hoc cum notabili suo damno, vel ejus probabili periculo; ac proinde si res suas amisit, ut depositas, licet pretiosiores reservaret, potest compensationem damni exigere, etiam si in gratiam utriusque cedat contractus, cum utiliter gesserit deponentis negotium, & nulli debeat damnosum ejus officium esse. In Indijs inter officia vendibilia Decurionum Civitatum invenitur officium Depositarii Generalis, apud quem, & non alium debent deponi bona litigiosa, pro quorum custodia nihil petere valet, nisi aliter conventum sit in officij venditione. Bona tamen Communitatis Indorum, minime apud ipsum deponi possunt. L. 15. & seqq. tit. 10. lib. 4. R. Ind. l. 4. & 5. tit. 20. lib. 8. R. Ind.

## TIT. XVII.

## De Emptione, &amp; venditione.

143 Emptio, & venditio, ut ferè omnes ceteri contractus, à Jure Gentium introducta est. §. 2. *Inst. de Jur. Natur. estque contractus bona fidei,*

utrinque obligatorius, in quo venditor cum emptore convenit de tradenda aliqua re, seu merce pro pretio pecuniario recipiendo: Et in hoc differt emptio. 1. à permutacione, in qua res pro re permutatur. 2. à cambio, in quo datur pecunia pro pecunia. 3. à locatione, in qua res utenda fruenda pro pensione pecuniæ, vel fructuum tribuitur. Qui rem tradit, venditor dicitur, qui pretium, emptor. L. 11. §. 2. de action. empt. L. 1. tit. 5. p. 5. ibi: *Vendita es una manera de pleyto, que usan los omes entre si, è façesse con consentimiento de las Partes por precio cierto, en que se avienen el comprador, è el vendedor.* Aliquando antiqui his nominibus emptoris, & venditoris in discrimen solabant uti. L. 19. ff. de action. empt. Imò, & quamcumque alienationem, emptionem, & venditionem appellabant. §. 2. *Inst. b. t. Genes. 25. V. fin.* Ad hujus ergo contractus substantiam, tria requiruntur; scilicet, consensus, pretium, & merx, ita ut si contrahentes discordent in emptione, vel in pretio, vel in re, nullus est contractus. L. 9. ff. de Contrab. empt. L. 20. tit. 5. p. 5. l. 1. l. 8. tit. 5. p. 5. 1. ergo debet adesse consensus utriusque: hic enim contractus consensu perficitur. *Princ. Inst. de Obligat. ex consensu. L. 2. C. de Contrab. empt. l. 1. l. 8. tit. 5. p. 5.* Et in hoc differt à mutuo, commodato, deposito, pignore, & precario, qui ad suam essentiam traditione rei indigent. In emptione, & venditione, non requiritur traditio mercis, vel pretij, nec quod actu transferatur dominium; sed quod oriatur obligatio dominium transferendi. L. 15. §. 1. ff. de Contrab. empt. siquidem vendita re turva non transferitur dominium, & stat vera venditio. L. 28. ff. de Contrab. empt. Venditio tamen illarum rerum, quæ numero, pondere, vel mensura constant, non antea intelligitur perfecta, quam vinum; v. g. mensuretur. L. 35. §. 5. ff. de Contrab. empt. quia non antea, potest de certa quantitate constare, quod ad substantiam contractus requiritur. Et sic intelligitur. L. 2. C. de Peric. & comm. rei vend. ubi videtur imperfectum haberi contractum ante traditionem. 2. requiritur pretium. *Princ. Inst. b. t. l. 8. tit. 5. p. 5.* hoc est nummus, sive pecunia, quæ est æstimatio, & mensura publica omnium, quæ sub hominum commercium cadunt. L. 1. ff. de Contrab. empt. pretium debet esse certum, & determinatum, nec sufficit vendere rem pro justo pretio, nisi saltem relinquatur determinandum arbitrio boni viri, vel Judicis. L. fin. C. de Contrab. empt. l. 9. l. 10. tit. 5.

tit. 5. §. 5. vel si vendatur frumentum tanti quanti heri fuit venditum, vel hodie, vel cras venderetur. L. 7. ff. *Contrab. empt.* Item pretium debet esse verum, non simulatum, alias potius donatio esset, quam venditio. L. 30. l. 55. ff. *de Contrab. empt.* & quidem emptoris proprium esse debet: alias non posset ver ditoris fieri. L. 11. §. 2. ff. *de Añ. empt.* Et iustum esse debet, cum solutio actus iustitia sit. Et adeo necessarium est pretium adhuc contractum, ut eo non numerato, vel si saltem non habeatur fides de eo, non tranlit in emptorem dominium mercis tradite. §. 41. *Insp. de Rev. divis.* L. 19. ff. *de Contrab. emptio.* l. 10. tit. 5. p. 5. Quando pro merce partim datur pretium, & partim alia res, si pretium excedat valorem rei, emptio: si excedatur a valore rei erit permutatio: si valor rei sit aequalis pretio, erit contractus mixtus ex emptione, & permutatione. *Gom. 2. Var. cap. 2. num. 10. Covar. l. 2. Var. cap. 4. num. 9. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 336. num. 6. 3. requiritur merx. L. 8. ff. *de Contrab. empt.* l. 8. b. t. 5. p. 5. Cuius nomine venit quidquid pecunia æstimabile est, sive mobile, sive immobile sit, sive iura, & nomina debitorum, servitutes, vel alia huiusmodi; imò, & alea, iacturæ reit hoc nomine comprehenduntur. L. 8. ff. *de Contrab. empt.* quia licet incertum sit, an capiatur, vel non, vel quantum, vel quid; tamen spes, & jus est certum, quod sufficit, ut possit esse merx determinata, & certa prout requiritur. L. 8. §. 1. ff. *de Contrab. empt.* Ad substantiam emptiois, & venditionis non requiritur scriptura. *Princ. Insp. b. t. Etiam si inter contrahentes conveniatur, scripturam fieri, quia tantum ad probationem censetur exacta; nisi ad ipsam tamquam conditionem alligetur consensus contrahentium: tunc sine scriptura nulla obligatio nascitur. Princ. Insp. b. t. l. 6. tit. 5. p. 5. Molin. de Just. & Jur. tr. 2. D. 337. n. 5.**

144. Omnes, qui suarum rerum administrationem habent, possunt emere, & vendere. L. 14. C. *de Contrab. empt.* nisi Lex quasdam personas hoc facere specialiter prohibuerit. L. 2. tit. 5. p. 5. Et quidem possunt hunc contractum facere, vel per se, vel procuratorem, vel per Epistolam, vel per nuntium. L. 8. tit. 5. p. 5. Non tamen possunt emere, & vendere. 1. Infans, furiosus, ebrius, quia non sunt capaces mentis. L. 2. C. *de Contr. empt.* 2. Pupilli, Minores, & prodigi, nisi interveniente auctoritate Tutoris, vel Curatoris. Inter pupillum, & Tutorem, vel perío-

nam ei subiectam, non potest emptiois, & venditionis celebrari contractus. L. 34. §. fin. ff. *de Contrab. empt.* potest tamen Tutor auctoritate Tutoris, vel Judicis contrahere cum pupillo. L. 5. §. 2. ff. *de Author. Tutor.* l. 4. tit. 5. p. 5. 3. Illas familias nequit sic contrahere cum parte extra causam peculi Castrensis, vel quasi. L. 2. ff. *de Contrab. empt.* l. 2. tit. 5. p. 5. quia licet possit naturaliter, nequit civiliter obligari, ne alias pater secum ipso contrahere videretur, cum patria potestas faciat, ut una persona civilis ambo censentur. L. 60. ff. *ad S. C. Tribel.* cum alijs tamen bene potest hunc celebrare contractum, & civiliter obligari. L. 6. §. 7. ff. *de Actio. empt. Gom. 1. Var. cap. 2. num. 2. 4. Advocatus nequit contrahere cum cliente, ne aliquid ab eo in fraudem juris extorqueatur. L. 6. §. 2. C. *de Postuland.* 5. Milites in Provincijs in quibus militant nequeant prædia emere, praterquam; si Fiscus distrahat, prædia paterna eorum. L. 9. ff. *de Remilit.* 6. Personæ nobiles commercium exercere prohibentur. L. 3. C. *de Comere.* quia præcipue in Hispania quid sordidum censetur mercaturam exercere: in Indijs tamen, etiam nobiles sine ignominia mercature vacant. Imò qui ex Hispania in Indias, & contra genera, & merces deferunt, Hispani: *Cargadores*, varijs exemptionibus attingunt. *Solorz. Polit. Indiarum.* l. 6. cap. 14. 7. Qui cum imperio Provincijs præliant, neque per se, neque per alium possunt in Provincia suæ jurisdictionis aliquid emere, nisi necessaria pro victu, & vestitu: si verò aliquam aliam rem emant, eam amittunt, & inquadruplum conveniuntur secundum Constitutionem Severi, & Antonini. L. 46. ff. *de Contrab. empt.* l. 5. tit. 5. p. 5. ibi: *Ade-lantado, ò otro juez qualquier que sea puesto para judgar, ò para hacer justitia en alguna tierra, ò en alguna Ciudad, ò Villa, non puede comprar heredamiento, nin cosas de, ni otro por el: ni otrosi ninguno de su compania en aquella tierra, ni en aquel lugar, sobre que son apoderados; pero si qualquier de estos sobredichos oviesse alguna heredad, ò otra cosa, que oviesse heredado de su padre, ò de alguino de los otros parientes, ò ganado en otra manera, ante que lo oviesse en cecogido para este oficio, bien la puede vender a los de aquel lugar.* L. 2. tit. 6. lib. 3. R. C. Vide, quæ dixi in tit. *de Offic. Judicis.**

145. Cum quilibet rei sui sit moderator, & arbiter. L. 21. C. *Mandat.* nemo invitus regulariter cogitur vendere, vel eme-

emere. L. 11. l. 13. C. *de Contrab. empt.* l. 3. tit. 5. p. 5. Aliquando tamen potest compelli. 1. ob publicam necessitatem: possunt enim Judices, publica inopia instante, vera quidem, & non ficta; si alia via commodior non patet, subditos compellere, præcipue Dardanarios, ita ut æqualiter onus dividatur, vendere iusto pretio, non verò aliter, frumentum: v. g. quo pro sua familia alenda non indigent; nec ad plus possunt compelli. L. 1. c. *Ut nemin. liceat in empt. spec. Covarr. 3. Var. cap. 14. n. 3.* Imò Clerici, & Religiosi, cum Jure Naturæ publicis necessitatibus succurrere teneantur, possunt compelli vendere triticum pro annona publica, mittere suum curtum, vel navim ad asportandum victualia, & cætera Reipublicæ necessaria, & ad alia huiusmodi compelli possunt. Et quamvis in ipsa bona possit fieri executio à Judice sæculari, securius erit prius Judicem Ecclesiasticum requirere, ut eos compellat. L. 54. tit. 6. p. 1. Et sic debent intelligi. L. 11. l. 12. tit. 3. lib. 1. R. C. *Acce. ibid. alijs citans Gomez. in c. 4. de Immunit. Eccl.* Possunt item cives sub aliqua pœna tempore indigentia prohiberi, ne singuli, præcipue Dardanarij, emant plusquam quo indigent ad suæ familie sustentationem; *arg. L. 6. ff. de Extraord. Crimin.* similiter emere possunt compelli si famis, vel obsidio rimeatur, quæ ad familie sustentationem sunt necessaria; *arg. L. 1. c. Ut nemin. liceat in empt.* Item possunt cogi, ut vendant pretio ordinario vicinis indigentibus, quando cives non indigent; *arg. c. 1. b. t. vel ne vendant, quando indigent cives, & pretium pro necessitate Judices taxare valent.* 2. ob publicam utilitatem propolat, & mercatores possunt compelli iusto pretio vendere, quæ ad victum, & vestitum pertinent. *Covar. 3. Var. cap. 14. n. 1.* cives possunt cogi fundos, & ædificia vendere pro Curia, annona, vel fortalio construendis, & in novis ædibus construendis, etiam possunt compelli, certum spatium pro publica via relinquere. L. 3. ff. *de Operib. publ.* l. 14. eod. 3. causa Religionis, & pietatis fundum vendere Ecclesiæ iusto pretio pro ejus ampliacione, & extruccionem possunt cogi, qui ædes vicinas habent. *Covar. cap. 14. n. 7. Molin. de Just. tr. 2. D. 241. n. 2.* Item nec Judæo licet emere hominem baptizatum, vel baptizari se volentem, nec in servitio illum retinere. *c. fin. de Judæis, l. 56. §. 3. C. de Episcop. & Cleric. 4.* Qui male re-  
mitur, potest compelli eam vendere, cum

Reipublicæ interfit; ne quis sua re male utatur, & ideo Dominus ob favitiam servus vendere cogitur. §. 2. *Insp. de His, qui sui, vel alien. L. 3. tit. 5. p. 5.* Si aliquis re sua uti nequeat, quin alter eam vendere compellatur. L. 44. §. fin. l. 81. §. 3. ff. *de leg. 1. v. g. si servum communem aliquis manumittat.* L. 1. §. 1. C. *de Commun. serv. manum.* l. 3. tit. 5. p. 5. vel si Republica, vel Fiscus rem communem vendere velit. In his enim casibus Socij suam partem vendere tenentur. L. un. C. *de Vend. rer. Fisco.* 6. Ex privilegio aliquibus civitatibus concessio, etiam habetur, quod merces illuc dilatae, ibi vendantur, quod *jus Stapula* vocant, vel quod quis teneatur mercatoribus, non verò extraneis, ea vendere, & vocant *jus Emporij.* Semper enim ac non specialiter prohibetur, potest celebrari venditionis contractus, sed præcipue sit in locis, & tempore nundinarum: Hæ namque ad commercia promovenda inducuntur. Si semel in hebdomada fiant, *Hispani: Mercados*, si semel, vel bis in anno *ferias* nundinarias. Si in ipsis exemptio à gabellis indulgeatur, *francas* dicimus, sed has nullus nisi Princeps, nec consuetudo immemoralis valet concedere. Et Mercatores ad nundinas concurrentes, dum iter faciunt, sub Regia protectione sunt. Nec possunt conveniri, nec incarcerationi in loco nundinarum pro alijs delictis, quam pro contractis ibidem ratione nundinarum, vel pro delicto, vel iuribus, & redditibus Regijs. *Tot. tit. ff. & C. de Nundin.* L. 3. & 4. tit. 7. p. 5. l. 1. & per tot. tit. 20. lib. 9. R. C. Et *ibid. Acce. de Hæc Comer. Terrest. cap. 10.*

146. Monopolia autem illicita sunt, *Monopolium* sic à verbo Græco dicitur, & est idem, ac si quis faciat, quod ipse solus vendat. Etiam dicitur *Monopolium*, quando Mercatores conspirant, non minoris pretij, quamquod inter se statuerint, aliquid vendere. De quibus sic ait, *Lex un. C. de Monopol.* Si quis autem *Monopolium* ausus fuerit exercere, bonis proprijs spoliatus, perpetuitate damnetur exilij. L. 2. tit. 7. p. 5. Sed hodie in L. 4. tit. 14. lib. 8. R. C. dicitur: *So pena de cada diez mil maravedis, y destierro de un año del Reyno.* Inter alia circumstantiæ adjunguntur gravius punitur. L. 1. l. 2. l. 3. tit. 14. lib. 8. R. C. Et *ibid. Acce.* quandoque tamen solet prohiberi, ne aliqua merces vendatur, nisi ab habente Regiam facultatem. Et *Hispani* dicitur: *Estanco*, quod quidem fit ex justa causa, & Principis autho-

ritate fiat, licitum est, taxato tamen iusto pretio, ita ut subditi non graventur. *L. 12. tit. 11. lib. 6. R. C. l. 71. tit. 46. lib. 9. R. Indiar. ibi: Mandamos, que en las Indias no se ponga Estanco en los vinos, y mercaderias, que de estos Reynos se llevaren, ni en otra cosa alguna, excepto en los que se ballaren permitidos, o permitieren por nuestra especial licencia.* In nostra Hispania aliqua merces sunt sub tali prohibitione comprehensa; nam tabacum solum potest de licentia Regis vendi. Similiter in Indijs sub simili prohibitione est venditio argenti vivi, chartarum picturarum. *Hispani: Naypes, & aliarum mercium, de quibus in tit. 23. lib. 8. R. Indiar. Solorz. Polit. Indiar. Escalona, Gazofiaz. & alij.* Insuper consensus in hoc contractu, sicut in alijs debet esse verus, id est, sine fictione, liber à coactione, & à metu gravi iniuste incusso, ab errore, & dolo, & quidem debet esse signo aliquo externo sufficienter expressus, & de presenti. Hinc concessus his verbis declaratus: *emere volo, & volo vendere*, cum sufficienter animum absolutum contrahentium talia verba expriment, ad contractum sufficit. Similiter fit contractus, quando quis promisit rem pro certo pretio vendere, & postea tradidit rem, & accipit pretium sine alia expressione consensus, quia facta non minus, quam verba consentium significant. *L. 31. §. 1. ff. de Legib. l. 95. ff. de Acquir. vel omitt. hered.*

147 Pretium in emptione aliud est naturale, aliud legitimum. Naturale quod & vulgare dicitur est, quod ex ipsa rerum natura, attentis hominum affectu, necessitate, voluntate, vel alijs circumstantijs provenit. Et hoc aliud est summum, seu rigorosum, aliud medium, aliud infimum, seu pium: v. g. si medium esset 50. summum esset 55. & infimum 45. plus minusve. Sed quodlibet ex eis est iustum. *Navar. Man. cap. 23. n. 79. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 347. n. 4.* Pretium legitimum est quod Lege, vel publica ordinatione statutum est; hoc in indivisibili consistit, nec pro contrahentium arbitrio augeri, aut minui potest, & ab omnibus debet servari, etiam à Clericis, & Religiosis, quia hæc statuta publicam commerciorum utilitatem, & æqualitatem respiciunt, nec immunitatem Ecclesiasticam lædunt, nec statum decedunt Clericalem. Etiam exteri iustum pretium servare tenentur, nisi à Lege eximantur. Si pretium legitimum minus sit naturalis, stantibus circumstantijs, ob quas tale pretium statutum est,

non potest exigi naturale, quia Princeps vult illud pretium, esse iustum, & non aliud, cujus voluntari, ut iustas subditi obedire, etiam in conscientia tenentur. *Navar. in Man. cap. 23. n. 88. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 21. n. 14.* secus mutatis circumstantijs: quia tunc Lex jam non est iusta. Si pretium legitimum sit majus naturali; & ut regulariter sit, est in favorem emptorum, non licet exigere pretium legitimum; fieret enim contra Legis mentem, quæ emptori favere intendit, si in gratiam venditorum sit statutum, ut sit in venditione centum, & aliorum jurium, quæ homines non nisi coacti penuria vendunt, possunt venditores pretium legitimum petere, quia ipsis favet intentio Legis. *Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 21. n. 13.* Pretia rerum, ex *L. 63. ff. ad Leg. Falcid. non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*: id est pretia, quæ quidem æqualitatem cum re debent habere, non taxantur ex affectione alicujus particularis, quæ sæpe erronea esset, nec ex utilitate singulorum; nam ex parte emptoris ob ejus cupiditatem parvi æstimaretur, & ex parte venditoris ob ejus avaritiam nimis appreciaretur. Debet ergo pretium taxari, vel à Magistratu, vel communi Populi consensu. Et licet quilibet, quia suæ rei moderator, & arbiter est. *L. 21. C. Mandat.* possit eam vendere, vel etiam donare, si tamen vendat, non potest iustum pretium excedere. Commune axioma: Res tanti est, quanti vendi potest. *L. 33. ff. ad leg. Aquil. l. 63. ff. ad leg. Falcid.* intelligitur quanti vendi potest licite, & seclusa fraude, ignorantia, violentia, necessitate, vel nimio affectu. In pretio emptionis, & venditionis naturaliter licet contrahentibus se circumvenire. *L. 16. §. 4. ff. de Minor. intra limites tamen iusti pretij.* Pretio currenti potest res vendi cuius pretium, scit venditor, brevi minuendum esse, nec de hoc tenetur emptorem monere, ne quidem ex charitate, nisi in extremam, vel gravem necessitatem incidere emptor. Sicut potest emi pretio communi res, cuius pretium brevi augendum est, & sic fecit Patriarcha Joseph in Ægypto. *Genes. 91.* quia cum res tunc tantum æstimetur, iusto pretio venditur. Sic contra *Medin. de Res. q. 36. Rodrig. Sum. p. 2. c. 81. n. 10. tenent Covarr. Lugo de Just. & jur. D. 26. num. 1; 9. Molin. eod. tr. 2. D. 354. Less. lib. 2. cap. 21. n. 40. & alij cum D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4.*

148 Pretium naturale, & legitimum

ex

ex varijs circumstantijs variari potest. 1. si multi sint emptores, & mercium penuria deur, pretium potest augeri. Si pauci sint emptores, & magna sit mercium copia potest minui: ultroneæ enim merces, quæ in gratiam venditoris emuntur, minuunt earum pretium, non tamen si ob utilitatem, vel necessitatem privatam venditoris tabernæ exponuntur venales, vel etiam ipse venditor roget emptorem. 2. si merces minutim vendantur crescit pretium ob laborem, & molestiam: minutim verò si cumulatum vendantur. 3. crescit pretium ob verisimile, & non hæc periculum amittendi pretij cum merce, & si nullum damnum sequatur. *Less. de Just. & jur. l. 2. cap. 21. n. 54. 4.* propter damnum emergens, vel lucrum venditori cessans pretium crescit, *e. fin. de Usur.* dum verè ex eo contractu emergat damnum, vel lucrum cesset; & de hoc est monendum emptor. *Less. de Just. lib. 2. cap. 21. n. 26. 5.* potest pretium augeri propter singularem affectionem, & multo magis ob utilitatem, quam venditor habet in merce, sed affectio debet esse in aliqua iusta causa fundata, non orta ex levitate, & quod venditor tali re in gratiam emptoris se privet: non tamen attenditur affectio, vel necessitas emptoris; nam hæc non est aliquid vendentis, sed tantum ementis: alias posset carius vendi panis famelicus, vel pauper. *D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. 6.* raritas mercis pretium auget sic gemma, nummi, antiqui, statuae, volucres, & alia animalia ex remotis regionibus advecta, carius venduntur, ut apud Indos accidebat, ubi vitra, cultelli, fistulae, & alia exigui valoris pro gemmis, auro, & argento permutabantur. 7. propter sumptus, & labores in rerum conservatione, & asportatione impenso, quia hæc omnia sunt pretio æstimabilia. Hinc debita dubia, & litigiosa ob molestias, & difficultates, possunt minori pretio emi, etiam si emptor facile posset solutionem obtinere, cum tale Chirographum in communi æstimatione sit minoris pretij: secus est, si liquidum sit: cum tunc in communi æstimatione tantum valeat, quantum debitum est. *Lug. de Just. & jur. D. 26. ex n. 94. Mol. tr. 2. D. 361. ex n. 7. Less. lib. 2. cap. 21. contra Malderum, Molissium, & alios.* Exteris, & peregrinis, non licet res carius vendere, imo hoc potest Episcopus sub excommunicatione prohibere. *e. 1. h. t.* ex aliqua tamen iusta causa potest res carius advenis, quam vicinis vendi. Sanè ille, cui res certo pretio vendenda tra-

Tom. I.

ditur, non potest excessum sibi, si pluries vendat, retinere, possit tamen, si majorem, & extraordinariam in vendendo adhibuisset industriam, vel si ipse rem sibi emit pretio currenti, suamque fecerit, & postea oblata occasione, majori pretio vendidit. Vel si ita cum venditore conventum est expresse, vel tacite, v. gr. si nullum ipsi vendenti est stipendium assignatum pro venditione, cum alias ipsi deberet assignari. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 363. Less. de Just. lib. 2. cap. 21. n. 138. & seq.*

149 Quæcumque res, quæ specialiter non prohibetur vendi utique potest: ac proinde res nondum extantes, si tamen sperantur extitæ, ut volucrum, & piscium captura, vel fructus agrorum, fructus animalium, & alia hujusmodi, possunt vendi. Ita ut si causa sit omnino fortuita, ut jactus reus, pura sit venditio; ac proinde, sive nihil, sive parum, sive multum extractum sit, pretium statutum solvi debeat: quia fortuna se partes commiserunt. *L. 8. ff. de Contrab. empt. l. 11. tit. 5. p. 5.* si ex causa naturaliter res speretur, ut fructus arborum, si jam existant, licet in herba, pretium solvere tenetur emptor, quamvis postea casu pereant, nisi aliter inter ipsos sit conventum, vel culpa venditoris interveniat. *arg. L. 78. §. fin. ff. de Contrab. empt. l. 12. tit. 5. p. 5.* Si fructus nondum sint nati, venditio est conditionata, & regulariter non habet effectum, si nihil de fructibus, vel scetibus natum sit, nisi aliter sit conventum. *L. 11. tit. 5. p. 5.* Si aliquid, quamvis minimum, vel plurimum sit natum, statim contractus, nec augetur, nec diminuitur pretium, nisi sit in ingula capita determinatum. *L. 8. ff. de Contrab. empt. l. 11. §. ultim. in fin. ff. de Act. empt.* Nomina, actiones, obligationes, & debita etiam possunt vendi. *L. 17. ff. de Hered. vel action. vend. sed non aliter, quam pretio iusto, iusta L. 22. C. Mandat.* Et quidem etiam ignorante, & invito debitore. *L. 1. C. Novas.* cum nihil interfit debitoris, qualem creditorem habeat. In substitutione verò novi debitoris, consensus creditoris requiritur, quia plurimum illius interest, qualem debitorem habeat. In talem verò emptorem solum transferatur actio utilis ex beneficio. *L. 16. ff. de Pact. directa apud venditorem manent.* Invito debitore, non potest actio, etiam de debito certo, & non litigioso transferri in potentiorum. *L. fin. C. Ne liceat potest.* Nec potest vendi privilegiato, v. gr. Clerico, si hoc iudicij mutandi causa fiat.

Rpp

c.

*c. fin. de Alien. judic. mutand.* secus si fiat sine dolo. Item nequeunt vendi actiones litigiosae. *L. 2. C. de litigios.* nec criminales, nec populares, nec actio personalis ad usum petendum. Nec quae alijs nequeunt prodesse, ut actio de uxore exhibenda. Quod si debitor non habeat unde solvat, non habet regressum emptor contra venditorem, siquidem hic tantum vendidit debitum, quod verum erat, non verò promissit, quod bonum esset, nisi aliter sit conventum. *L. 4. ff. de Hered. vel act. vend. & ibid. Gothofr.* Tutores, & Curatores emere nequeunt actiones contra suos clientes. *Auth. Minor. C. Qui dare Tut. vel Cur.* ubi est correcta. *L. 12. ff. de Rebi. eorum, qui subtit.* & notat *ibid. Gothofr.*

150 Licet vendi nequeat vivētis hereditas, ne inducatur votum mortis alienae captanda, nisi consentiat ille, de cuius hereditas agitur, quippe tunc sublata censetur acerbitissima spes, quae alias injuriosa illi esset. *L. fin. C. de Paet.* bene tamen hereditas jam venditori delata. *L. 2. ff. de Hered. vel act. vend. l. 13. tit. 5. p. 5.* quia de ipsa, utpote sua, disponere valet. *L. 21. C. Mandat.* & tunc in emptorem transfertur, quidquid ad venditorem pervenit, vel perventurum est, vel per eum stat, quominus pervenerit. *L. 2. §. 3. & 4. & 9. ff. de Hered. vel act.* & hinc ad ipsum pertinet, quod per jus accrescendi accresceret venditori, si hereditatem non vendidisset, cum portio instar alluvionis portioni accrescat. Nec venditor de evictione tenetur, si res hereditaria evincatur, cum solum transferre possit, quod ipse habet. Actiones activae in emptorem transeunt. *L. 5. & fin. C. de Hered. & act. vend.* passivae creditoribus defuncti contra venditorem competunt, nec ipse emptor tenetur eas invitus excipere. *L. 2. C. eod.* tenetur tamen venditori refarcire, quod ex ea causa solverit. *L. 2. C. de Legat.* Res aliena usu consumptibilis potest vendi, si venditor, vel emptor animam satisfaciendi habeat, quia cum nihil Domini inter sit utrum eadem res, an alia ejusdem bonitatis ipsi reddatur, non creditor rationabiliter invitus. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 330.* Quando res non est fungibilis, si emptor ignoret, alienam esse, venditio valet eatenus, ut venditor illi de evictione, & ad totum interesse, teneatur, & emptor licite rem detinet, donec à Domino vindicetur. *L. 28. ff. de Contrab. empt. l. 11. ff. de Act. empt.* & legitimo tempore eam praescribere poterit. E contra, si emptor, alienam esse, sciat, & si furtiva

non sit, in se periculum suscipit, nec venditio valet, nec venditor de evictione, vel ad aliud interesse ipsi tenetur, nisi aliter conveniant. *L. 34. §. 3. ff. de Contrab. empt. l. 19. tit. 5. p. 5.* quod si Dominus nequit recuperare rem, ipsi est dandum pretium, si jam eam recuperavit tradendum est scilicet, numquam tamen ipsi emptori. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 327. n. 6.* si emptor dubitet, potest rem emere, ut inquisita veritate, Domino restituat. Res propria ementis nequit emi. *L. 18. tit. 5. p. 5.* nam quod meum est amplius meum fieri nequit. Plures etiam sunt res, quae vendi nequeunt.

152 Cum ex voluntate contrahentium contractus legem accipiant, *c. 85. de Reg. jur. in 6. l. 23. ff. eod.* potest venditor aliqua pacta apponere in ipsa venditione, vel in continente; secus ex intervallo. Et quidem primo pactum Legis commissoriae adjicere valet, scilicet, ut si intra certum tempus emptor pretium non solvat, res sit inepta, vel nullus contractus: ac proinde emptore culpabiliter, secus ex justa causa, non solvente pretium, res inepta censetur, revertiturque ad venditorem. Si nullum tempus est praefixum non committitur, seu resolvitur venditio, nisi interpellet judicialiter venditor; secus si praefixum est: nam dies pro eo interpellat. Et in venditoris electione est, vel dissolvere contractum, vel illi stare. Sed cum tale pactum sit in favorem venditoris introductum, ne in ejus damnum retorqueatur contra *L. 6. C. de Legib. si venditor stare contractui eligat, tunc emptor contractui stare tenetur, & soluto pretio illum implere. L. 2. l. 3. l. 4. §. 2. ff. de Legib. commissor. l. 38. tit. 5. p. 5.* ita tamen ac Lex commissoria est, venditor declarare debet, an velit commissoriam exercere, an pretium petere, & alterutro electo, nequit variare. *L. 4. §. 2. l. 7. ff. de Lege commissor. l. 38. tit. 5. p. 5.* Et licet fructus medij temporis ad emptorem, ut rei Dominum pertineant, si res inepta fiat, & ad venditorem redeat, simul cum ipsa, tamquam si numquam Dominus fuisset restituere debet emptor, non solum fructus extantes, sed & consumptos, quamvis nullum ex eis lucrum sentierit. Indignum enim se fecit aliquod commodum sentiendi ex negotio, in quo fidem sefellit. *L. 5. ff. de Leg. Commissor.* Etiam potest adjectum pactum, quo emptor teneatur rem venditam rursus ipsi venditori vendere, quod pactum de retrovendendo dicitur, ita ut pro onere, vel favore, quem alteruter

hol-

hostibus fidei. *c. 6. de Judais, L. 22. tit. 5. p. 5.* & contra facienti, bona confiscantur, & ipse ad arbitrium Regis punitur. *L. 22. tit. 5. p. 5.* in Jure Canonico hoc facientes excommunicantur. *c. 6. de Judais, & excommunicatio est reservata in Bulla in Coena Domini, & in nostra Hispania contra tales procedit Inquisitio. Dian. in Sum. V. Inquisitores, n. 97. Cantera, & alij.* Nec item vendi possunt res malae, vel ad ulum malum expetita, ut libri Haeretici, vel impuri, amuletum Magicum, nec venenum potest vendi, nisi ad aliquod medicamentum sit necessarium. *L. 17. tit. 5. p. 5. l. 5. tit. 16. lib. 3. R.C.*

152 Cum ex voluntate contrahentium contractus legem accipiant, *c. 85. de Reg. jur. in 6. l. 23. ff. eod.* potest venditor aliqua pacta apponere in ipsa venditione, vel in continente; secus ex intervallo. Et quidem primo pactum Legis commissoriae adjicere valet, scilicet, ut si intra certum tempus emptor pretium non solvat, res sit inepta, vel nullus contractus: ac proinde emptore culpabiliter, secus ex justa causa, non solvente pretium, res inepta censetur, revertiturque ad venditorem. Si nullum tempus est praefixum non committitur, seu resolvitur venditio, nisi interpellat judicialiter venditor; secus si praefixum est: nam dies pro eo interpellat. Et in venditoris electione est, vel dissolvere contractum, vel illi stare. Sed cum tale pactum sit in favorem venditoris introductum, ne in ejus damnum retorqueatur contra *L. 6. C. de Legib. si venditor stare contractui eligat, tunc emptor contractui stare tenetur, & soluto pretio illum implere. L. 2. l. 3. l. 4. §. 2. ff. de Legib. commissor. l. 38. tit. 5. p. 5.* ita tamen ac Lex commissoria est, venditor declarare debet, an velit commissoriam exercere, an pretium petere, & alterutro electo, nequit variare. *L. 4. §. 2. l. 7. ff. de Lege commissor. l. 38. tit. 5. p. 5.* Et licet fructus medij temporis ad emptorem, ut rei Dominum pertineant, si res inepta fiat, & ad venditorem redeat, simul cum ipsa, tamquam si numquam Dominus fuisset restituere debet emptor, non solum fructus extantes, sed & consumptos, quamvis nullum ex eis lucrum sentierit. Indignum enim se fecit aliquod commodum sentiendi ex negotio, in quo fidem sefellit. *L. 5. ff. de Leg. Commissor.* Etiam potest adjectum pactum, quo emptor teneatur rem venditam rursus ipsi venditori vendere, quod pactum de retrovendendo dicitur, ita ut pro onere, vel favore, quem alteruter

Tom. I.

contrahentium sentit, pretium rei venditae, vel augeatur, si in solius emptoris gratiam cecidit, vel minuat si solus venditor commodum reportet quo standum est arbitrio Judicis, vel prudentum. *L. 24. tit. 5. p. 5. Covar. 3. Varior. cap. 8. & 10. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 375.* si verò contractus pignoratitius sub specie venditionis celebretur, ut fictus emptor lucratur fructus, quin in sortem imputen- tur, est usura palliata, ac proinde reprobatur. *In c. 5. b. t. c. 4. de Pignor. arg. l. 41. tit. 5. p. 5.*

153 Solet etiam in venditione apponi arrha, seu arrhatio, vel arrae in plurali, & sine b. ut assert Nebrisenfis: *Arrha ergo est pecunia, vel alia res ab uno ex contrahentibus alteri data in securitatem contractus initi, vel inveniendi.* Si pro in- cundo contractu detur, licet partibus resiliere. Si mutuo consensu ambo resiliunt restituitur arrha, si resiliit, qui Arrham dedit, altero invito, eam amittit, & aliter lucratur, si resiliit, qui eam accepit, eam restituit, & tantumdem de suo, quod alter lucratur. *Princ. Institut. b. t. l. 17. V. Illud, C. de Fid. Instrum. l. 7. tit. 5. p. 5.* Si Arrha sit data in securitatem contractus jam initi, non licet resiliere, sicut ab ipso contractu, etiam sine Arrha celebrato jam perfecto resiliere non licet. *L. 5. C. de O. & A. l. fin. C. Quando liceat ab empt. Si vero per Arrharum appositio- nem, id contrahentes agere cenleant, ut illas dans, eas amittat, si resiliat, & qui accepit duplicatas restituat, si resiliat, resiliere utique licebit, & non amplius valet contractus. Et sic venit intelligenda sententia *Ant. Gom. 2. Var. cap. 2. num. 18 Molin. Just. & jur. tr. 2. D. 338. & aliorum,* quae de jure Hispano videtur approbata contra Commune, ut notat *Greg. Lop. in l. 7. tit. 5. p. 5. V. Despuet.* Potest itidem in ipsa venditione, vel in continente, non tamen ex intervallo apponi pactum Additionis in diem, vi cuius venditori liceat rem venditam alteri addicere, & quidem absolute, non cum nova additione, nisi aliter inter primum emptorem, & venditorem conventum sit. *L. 11. ff. de In diem addit.* tunc enim potest illa res vendi secundo, si intra praefixum tempus sincere, & sine dolo meliorem vendentis conditionem faciat, majus pretium, vel faciliorem solutionem offerendo, nisi forte primus emptor velit praestare meliorem conditionem ab alio oblatam; nam tunc primo debet res dari. *L. 7. l. 11. ff. de In diem addit.* In diem ergo*

addictio ita fit: *Ille fundus centum est tibi emptus, nisi quis intra Kalendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit, quo res à Domino habeat.* L. 1. ff. de in diem addict. Si intra diem additionis venditor moriatur, suo heredi potest fieri melior conditio. L. 15. ff. eod. si intra tempus præfixum nullus alius emptor meliorem offerat conditionem, vel venditor non acceptet oblatam, irrevocabiliter acquiritur res primo emptori. Si tamen offeratur, & acceptetur, dissoluta prima emptione, secunda contrahitur. Arg. l. 37. ff. de Contrab. empt. Dominium, & rei vindicatio absque alia traditione redeant ad venditorem. L. 41. ff. de Rei vendit. & emptor tenetur restituere rem cum omni commodo, & acceleratione. L. 6. ff. de In diem addict. etiam fructus extantes, non autem consumptos, etiam si ex eis factus fuisset locupletior, licet alij aliter sentiant. Alia denique pacta possunt poni à contrahentibus pro suo arbitrio v. g. si vendatur servus sub conditione, quod certo tempore manumittatur. L. 45. tit. 5. p. 5. vel è contra, ne unquam manumittatur. L. 46. tit. 5. p. 5. & alia hujusmodi, quæ neque contra bonos mores sint, nec à Legibus reprobentur.

154. Venditor tenetur emptorem monere de vitio rei substantiali. V. g. si aurichalcum pro auro, vitrum pro gemma daretur. Alias contractus est nullus, quia deest consensus emptoris. L. 9. ff. de Contrab. empt. l. 21. tit. 5. p. 5. ipsique competit actio de dolo, & rehibitoria ad pretium rehabendum, de quo postea: imò, & vitium circa qualitatem ostendere debet, si qualitati alligavit emptor suum consensum. Si verò detur res æquè utilis, ac si haberet eam qualitatem, non est necessarium, emptorem monere. Lug. de Just. & jur. D. 26. n. 124. Sanchez. l. 7. de Matrim. D. 18. n. 21. Si emptor expressè non alliget certam qualitati suum consensum, non tenetur venditor vitium qualitatis manifestare, sed sufficit pretium minuere, etiam si alius non fuisset empturus si vitium scivisset. D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 353. n. 12. Tenetur tamen venditor omnino vitium manifestare ex justitia, quando vitium esse emptori damnosum, ut si equus esset ferox, vel esset inutilis res, v. g. medicamentum evanidum, vel si emat ad revendendum. Quando verò vitium circa qualitatem est manifestum, non tenetur venditor de eo monere. L. 43. ff. de Contrab. empt. l. 1. §. 6. ff. de Ad-

lit. edit. etiam in foro conscientie. D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 353. n. 17. etiam emptor valde rudis est. Quamvis contractus emptionis, & venditionis, posito mutuo consensu, & impletis conditionibus, si quæ appositæ fuerunt, sit quoad substantialia perfectus, ad consummationem tamen requirit traditionem rei ex parte venditoris, & pretij ex parte emptoris, vel saltem fidem datam de solvendo pretio, quo factò dominium utrumque transfertur, quia traditionibus, non nudis pactis, seu titulis rerum dominia transferuntur. L. 20. C. de Pa. Hinc si res duobus vendatur, & secundo sit tradita, licet illicitè, & injuriosè: dominium tamen acquiritur secundo. L. 50. tit. 5. p. 5. licet prima venditio sit jurata, quia adhuc venditor manet Dominus rei. L. 15. C. de Rei vindic. Covarr. 2. Var. cap. 19. n. 2. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 369. n. 7. quod si primo emptori sit hypothecata, cum habeat jus in re, non potest per traditionem secundo acquiri dominium irrevocabile. L. 12. §. fin. ff. Qui potior. Vel si secundus scivit, alteri esse rem venditam: nam ob fraudem potest primus intra annum à die scientie repetere rem. Arg. l. 1. ff. de His, quæ in fraud. l. 2. secundo anno. Nec tunc tenetur in foro externo secundus emptor eam reddere: probabilius tamen tenetur in foro conscientie. Si nulli est tradita, debet tradi primo emptori, cum secunda venditio illicita sit. Arg. l. 98. ff. de Reg. jur. c. 54. eod. in 6. l. 50. tit. 5. p. 5. Nisi secundus pretium enumeraverit, quod non fecit primus, vel fecisse non constat. Covarr. lib. 2. Variar. cap. 19. n. 6. Procurator Fisci, & ob ejus paritatem, Procurator Ecclesie, vel Minoris, etiam si rem venditam tradant, non transferunt dominium, etiam habita fide de pretio solvendo, donec verè pretium solvatur. L. 5. §. 1. ff. de Jur. Fisci. Quando Ecclesie, vel alteri pio loco: Imò, & Civitati venditur, legatur, vel donatur aliqua res, etiam sine traditione, ex privilegio acquiritur dominium. L. 23. C. de Sacr. Eccl. Covarr. lib. 2. Variar. cap. 19. n. 2. & sic licet postea alteri vendatur, non acquiritur dominium secundo emptori. Quando res commodata v. g. venditur commodataro, non requiritur traditio vera, & realis: sed sufficit ficta brevis manus, ut ei dominium adquiratur. §. 44. Inst. de Res. divis. Venditor rei, si emptor impletionem contractus urgeat, rem ipsam tra-

radere tenetur, cum traditio non sit merum factum, sed contineat aliquid juris, scilicet, translationem dominij, vel conditionem ufucapiendi: nec liberatur venditor, solvendo interesse, quia determinatè rem tradere debet: licet emptor determinatè obligatur ad pretium solvendum, quia inter ipsos ita conventum est. §. 1. Inst. b. t. §. 2. Inst. de Donat. L. 11. §. 2. ff. de Action. empt. sic Abb. in c. 10. de Fid. Instr. Castropal. tr. 32. D. 5. p. 13. n. 2. contra Covarr. 2. Variar. cap. 19. n. 1. Fachin. l. 2. Controv. cap. 30. si verò res pretij, vel evicta fuit, vel ex alia causa nequeat tradi in specie, ejus loco solvendum est interesse, & sic sunt interpretandi textus contrariæ partis in L. 1. ff. de Action. empt. L. 25. §. 1. ff. de Contrab. empt. & quidem traditio juxta rei qualitatem fit, vel transierendo rem de manu in manus, vel eam demonstrando, vel obsignando, vel tradendo scripturam, vel claves, vel per clausulam de Constituto, vel si emptor nitatur jure tanquam proprio, sciente, & patiente venditore. Præterea res à venditore tradita debet esse vacua ab alia possessione, id est, non occupata ab alio. L. 8. ff. de Action. empt. Item libera à servitutibus, pensionibus extraordinarijs, & oneribus inconfuetis, sed de eis, si quæ habeat, debet venditor emptorem monere. L. 1. §. 1. l. 13. l. 21. §. 1. ff. de Actionib. empt. si nihil conventum est, debet fieri traditio in loco venditionis, & quidem statim, ac pretium solutum est, quod si pretium, vel pars pretij nondum est soluta, potest venditor jure pignoris retinere rem, donec pretium ipsi solvatur. L. 13. §. 8. ff. de Action. empt. Et cum ipsa, re tradendi sunt fructus, & pertinentiæ rei, quales sunt servitutes, jurisdictione, castra, feuda, jus venandi, piscandi, & similia. Item claves, tabulæ, putas, & alia hujusmodi. §. 3. Inst. b. t. l. 13. l. 16. C. de Action. empt. Hæc enim omnia, ut accessoria suum principale sequuntur, nisi aliter expressè sit conventum.

155. Emptioni, & venditioni, tanquam bonæ fidei contractui utrumque obliganti naturaliter inest evictio, etiam si nihil de ea conventum sit. L. 6. C. de Evict. Nihil enim aliud est Evictio, quam rei suæ, quam alius legitimo titulo adquisit per Judicem recuperatio. Nam licet emptor sciat pretium venditoris, sic venditor rem tradendo emptori dominium, vel saltem conditionem ufucapiendi cum

possessione vacua transferre debet. L. 74. ff. de Contrab. empt. Hinc si res, vel pars ejus, v. g. jus alteri in ea quantum, ut usufructus evincatur, venditor etiam si ignorasset, rem alterius esse, vel alteri esse obligatum, de Evictione emptori tenetur. L. 1. l. 43. l. 49. ff. de Eviction. l. 32. tit. 5. p. 5. ibi: *Quita, è libre de todo embargo debe ser entregada la cosa vendida al comprador, de manera, que si otro alguno se la quisiere embargar, è moverle pleyto sobre ella, que se la debe hacer sana. Et Hispanè dicitur: Sana, y saneamiento.* Si res tota est evicta, totum pretium potest emptor repetere, si pars tantum, partem ei correspondentem. L. 1. l. 53. l. 64. ff. de Evict. l. 36. tit. 5. p. 5. Nec pro parte tantum est solvendus contractus. L. 72. ff. eod. nisi ita conventum sit, vel pars remanens inutilis, aut inieparabilis esset à reliquis, vel si emptor partem tantum non fuisset empturus: si venditor mala fide vendidit, tenetur omnia damna, quæ emerferunt, & lucra, quæ cessarunt emptori refundere, ne ipsi suus dolus patrocinetur. L. 13. ff. de Action. empt. si bona fide vendidit non ad totum interesse tenetur, nec ultra duplum (cui inest pretium tanquam simplicium) debet emptori refundere, quamquam emptoris ultra duplum interit. L. 44. ff. de Action. empt. sed jure Hispano solum ad duplum tenebitur venditor, quando ita conventum sit, & ita in praxi servatur. L. 32. tit. 5. p. 5. & ibid. Greg. Lop. V. Doblo. Ut venditor de evictione teneatur, requiritur, quod emptor ipsum laudet, hoc est, quod venditori ab ipso fiat denuntiatio in presentia, vel si hoc non possit, ad ejus domum coram vicinis, & quidem ante testium publicationem, seu antequam tempus probationum sit elapsum. Et si in prima instantia non fuit facta denuntiatio, potest heri in causa appellationis. Covarr. lib. 3. Variar. cap. 17. n. 8. debetque emptor talem denuntiationem facere expressè, etiam si aliunde venditor sciat licem, debetque venditorem requirere, ut liti assilat, & suggerat, quæ ad defensionem rei conducunt, tanquam qui rei à se venditæ conditionem, & jus melius scit; aliàs culpæ emptoris, qui tam salubre medium omisit, imputabitur. C. fin. b. t. l. 29. §. 2. ff. de Evict. l. 8. c. eod. l. 32. tit. 5. p. 5. Nec ut venditor de evictione teneatur, sufficit, licem esse motam, sed requiritur sententiam latam contra emptorem in rem judicatam transiisse, & possessionem datam

datam esse adversario. *L. 57. ff. de Evict.*  
 & *ibid. Gotbfr. l. 3. C. eod.* Si venditor mortuus sit, denuntiatio est facienda singulari ejus heredibus, qui prorata tenentur. *L. 85. §. 5. ff. de V. O.* non est necessesse venditorem, ut de evictione teneatur, delite certiorare, si huic denuntiationi renuntiavit. *L. 63. ff. de Evict.* vel si per ipsum fiat: quominus ad eum denuntiatio perveniat. *L. 55. ff. eod.* vel si emptor nequit proflus icire citra venditoris factum, ubi nam ipse sit. *L. 56. §. 6. ff. de Evict.* vel si emptor sit Minor, & aliunde venditor scivit. Et à paritate extenditur ad Ecclesiam. *Covar. l. 3. Var. cap. 17. n. 4. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 380. n. 13.* Venditor sic laudatus, & requisitus emptorem defendere, & liti assiltere tenetur, vel in se eam suscipere, licet ad hoc, se non obligari. *L. 74. §. 2. ff. de Evict.* & sequi debet forum emptoris, etiam si venditor Clericus sit, & emptor Laicus. *Hevia in Cur. Philip. p. 1. §. 5. n. 20. Gom. Greg. Lop. & alij,* quod si venditor nolit litem in se suscipere, contra emptorem instituetur lis, & emptor potest contra venditorem de evictione agere, & ab illo, etiam petere instrumenta ad defensionem sui juris. *L. 33. tit. 5. p. 5.*

156 Venditor equidem non tenetur emptori de evictione, si emptor non denuntiavit venditori statim post litem motam, vel ante tertium publicationem, vel conclusionem in causa, vel si contumaciter abfuit emptor à iudicio. *c. fin. h. t. l. 55. ff. de Evict.* quia magis propter absentiam victus videtur, quam quod malam causam habuit. *L. 36. tit. 5. p. 5.* vel si emit rem sciens, alienam esse, vel alteri obligatam. *L. 27. C. de Evict.* vel si potuit ulucapere rem emptam, & non fecit. *L. 56. §. 3. ff. de Eviction.* Vel si à sententia non appellavit, vel appellacionem deseruit: nisi hoc fecisset, quia jus evincens cognovit. *L. 63. §. 1. & fin. ff. de Evict.* vel si rem habuit pro derelicta. *L. fin. ff. eod.* In his enim casibus, nisi aliter sit conventum, emptoris culpa imputatur evictio, ac proinde de ea tenetur venditor. Nec itidem tenetur, si inter ipsos conventum est, ne venditor de evictione teneatur. *L. 11. §. fin. ff. de Action. empt.* vel si ob imperitiam, vel etiam injuriam Judicis res sit evicta. *c. fin. h. t. l. 51. ff. de Evict.* quia injuria quæ sit emptori, auctorem, hoc est, venditorem non debet contingere. *L. 36. tit. 5. p. 5.* vel si emptor fuit condemnatus ab arbi-

tro compromissario, vel Judice non suo, in quem consensit, quia nulla necessitate cogente id fecit. *L. 76. §. 1. ff. de Evict.* *l. 36. tit. 5. p. 5.* vel si cogatur à Principe, rem alteri vendere. *L. 11. ff. de Evict.* *l. 37. tit. 5. p. 5.* vel si res vendita ante evictionem perijt. *L. 26. C. eod.* quia periculum ad emptorem pertinet, vel quando creditor jure pignoris rem distrahit. *L. 11. §. 16. ff. de Act. empt.* quia ita vendens, tantum censetur suum jus præstare voluisse. *Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 380.*

157 Cum non liceat contrahentibus se mutuo circumvenire, emptor, qui venditorem læsi, etiam infra justum pretij dimidium, tenetur sub culpa gravi pretium supplere. Si ultra dimidium justum pretij læsio contingat, quia cum res v. g. valeat decem, tantum quatuor dedit emptor, etiam si utrimque bona fide sit celebratus contractus, venditor læsus potest contra emptorem agere, vel ad rescissionem contractus: siquidem validus est, vel ad supplementum justum pretij. *L. 2. C. de Rescind. vend. c. 3. c. 6. b. t. l. 56. tit. 5. p. 5.* Emptor enim, qui debitor est, eliger, vel contractum rescindere, vel pretium supplere. *L. 2. C. de Rescind. l. 56. tit. 5. p. 5. Arg. c. 70. ae Reg. jur. in 6.* & licet jura tantum de venditore læso loquantur, tamen propter eandem rationem æqualitatis inter mercem, & pretium, ad emptorem læsum hoc remedium extendendum est, nam in correlativis de uno dispositum ad alterum extenditur. *L. fin. C. de Indist. vtd. Pinel. in l. 2. C. de Resc. vend. p. 1. cap. 2. & 3. Gutier. lib. 2. Practic. quass. q. 223. n. 2. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 349. n. 1.* & in nostro Jure Hispano expressè est hic casus comprehensus. *In l. 56. tit. 5. p. 5. l. 1. tit. 11. lib. 5. R. C.* Si enim emptor ultra dimidium justum pretij à venditore est læsus, potest agere, vel ad rescissionem contractus: siquidem validus est, vel ut ipsi excessus pretij reddatur pro venditoris arbitrio: ipsius enim, qui debitor est, electio est. *L. 2. C. de Resc. vend. l. 56. tit. 5. p. 5.* Emptor ultra dimidium justum pretij censetur læsus, quando pro re, quæ valet 10. dedit plusquam 15. ut expressè habetur in *L. 56. tit. 5. p. 5. l. 1. tit. 11. lib. 5. R. C. Cov. 2. Var. cap. 3. n. 8. Gom. 2. Var. cap. 2. n. 22. Gutierr. lib. 2. Practic. q. 133. Molin. tr. 2. D. 349. n. 2. Reinfessuel in Presenti n. 336. Less. l. 2. cap. 21. n. 20. Laym. l. 3. tr. 4. cap. 17. n. 7.* Alièr tamen Abb. in *c. 3. h. t. n. 2. Pinel. in l. 2. C. de Resc.*  
 p. 1.

*p. 1. l. 2. c. 2. n. 6. Perez, & alij.* Justum pretium tempore contractus consideratur. *c. 6. b. t. l. 8. C. de Resc. vendit. l. 56. tit. 5. p. 5. l. 1. tit. 11. lib. 5. R. C.* Ut à venditore possit emptor conveniri, debet læsio esse ultra dimidium justum pretij infirma. Ut venditor ab emptore conveniatur, pretium summum consideratur. *Cov. 2. Var. cap. 3. n. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 349. n. 4. & 5.* Et emptor, qui læsus in re, quæ 100. valet, si 40. dedit, debet 60. supplere, nec sufficit si 10. addat ad læsionem ultra dimidium excludendam. *L. 2. C. de Resc. vend. c. 3. c. 6. b. t. Gom. 2. Var. cap. 2. n. 22.* Hoc remedium habet locum, etiam quando venditio fit in publica subhastatione, etiam facta cum Judicis auctoritate. *L. 1. tit. 11. lib. 5. R. C.* & in venditionibus minorum cum auctoritate Judicis factis.

158 Non succurritur læso. 1. si hic expressè huic remedio in sui favorem introducto, renuntiaverit. *Arg. c. 6. de Privileg. l. 29. C. de Post. præcipue juramento* accedente. *c. 28. de Jur. jur. c. 2. de Pract. in 6.* ut expressè habetur in *L. 56. tit. 5. p. 5.* nisi læsio sit gravissima, quia nec specialis, & jurata renuntiatione comprehenditur. *Covar. Var. 2. cap. 4. ex n. 1. Gutier. de Jur. p. 1. cap. 26.* non sufficit renuntiatione generalis, ut huic remedio censetur renuntiatum. 2. expressa condonatione ipsius læsi hoc remedium excluditur. *Arg. L. 21. C. Mandat. 3.* si res casu perijt. *L. 56. tit. 5. p. 5.* quia tunc cessat optio rescindendi contractum, vel defectum supplendi. *Arg. L. 12. §. 1. ff. de Jur. dot. Gom. 2. Var. c. 2. n. 22. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 349. n. 6. 4.* non potest hoc remedium intentari contra tertium possessorem, nisi ex titulo lucrativo possideat, vel sciens, quod infra dimidium justum pretij res empta fuit, tunc contra ipsum in defectu primi emptoris agi valet. *Covar. 2. Var. cap. 3. n. 10. Mol. de Just. & jur. tr. 2. D. 349. num. 4. & 5.* & de Jure Hispano cessat hoc remedium, quando in publica subhastatione aliquid compelluntur rem emere, ut ex pretio illius debita solvantur. *L. 6. tit. 11. lib. 5. R. C.* Si emptor lædens rescindere contractum elegit, si malæ fidei possessor fuit, tenetur fructus interim perceptos restituere, secus si erat bonæ fidei possessor. *Arg. c. 11. de Reb. Eccles. non alien.* quia cum contractus fuisset validus, verè Dominus rei erat. Item cum ad ipsum pertinere periculum rei, similiter, & fructus. *L. 10. ff. de Reg. jur. c. 55. eod. in 6. ita Molin.*

*de Just. tr. 2. D. 349. n. 12. Gutier. lib. 2. Practic. q. 134. Less. de Just. & jur. l. 2. cap. 21. n. 122. Gom. 2. Var. cap. 2. n. 24. & cap. 4. n. 21. & alij contra Covar. 2. Var. cap. 3. n. 9. Greg. Lop. in l. 56. tit. 5. p. 5.* Hoc remedium licet pro venditione specialiter fuisset inductum. *L. 2. C. de Resc. vend.* extenditur tamen, ob paritatem rationis, ad ceteros contractus onerosos, ut sunt permutatio, locatio, cambium, &c. *Gom. 2. Var. cap. 2. n. 22. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 349. n. 14.* transactione excepta. Nec in contractibus lucrativis, & non reciprocis habet locum, ut in donatione, commodato, deposito, mandato, & precario, nam aliunde sunt infirmandi, Quæ extensio ad alios contractus in Nostra Hispania constat ex *L. 1. tit. 11. lib. 5. R. C. ibi: Testo mismo debe ser guardado en las Rentas, y en los Cambios, y en los otros contratos semejables; y que aya lugar esta Ley en todos los contratos subreales, aunque se haga por almoneda, del dia que fueren hechos justa en quatro años, y no despues.* Si vero læsio sit infra dimidium justum pretij, & non intervenit in contractu dolus, nec fraus, si contrahentes sint majores 25. annis, nulla actio datur læso. *L. 2. tit. 11. lib. 5. R. C.* Contra datur actio, si dolus intervenit. *L. 13. §. 4. & 6. ff. de Act. emp. vel si læsus est minor 25. annis, vel jure minoris gaudeat, nam tunc restituitur. c. 1. de In integr. restit.* sed licet in foro externo non datur actio contra lædentem, ne facillè contractus rescindantur, & via litibus aperiatur magna cum perturbatione Republicæ: tamen in foro conscientie tenetur lædens restituere damnum, quod læso indefectu pretij causavit.

159 Ut igitur à contractu emptionis, & venditionis omnis dolus, & fraus removeatur, duplex actio conceditur ad delictio edicto emptori adversus venditorem, qui rem vitiosam vendidit. 1. Est Redhibitoria: & est actio bonæ fidei, personalis, quæ emptor, vel ejus heres agit adversus venditorem, & ejus heredes, ut omnia in integrum restituantur, ac proinde venditione rescisa, rem redhibeat, id est venditor rem recipiat, pretiumque reddat, & omne damnum, & interesse, etiam extrinsecum, emptori contingens, & si sit contumax condemnatur in duplum. *L. 45. ff. de Adilit. edict.* Dicuntur hæ actiones adilitiæ, quia Leges pro illis primo sunt lætæ Romæ ab adilibus, qui conservatores sacrum adium erant, & etiam à curru, quo gestabantur, dicebantur Curules. Redhibitoria

toria ergo habet locum, quando vitium rei tale est, quod si illud emptor scivisset, nullo modo, nequidem minori pretio rem emisset. *L. 64. tit. 5. p. 5.* Et habet sex mensures utiles, & tempus redhibitioni ex die venditionis currit, aut si dictum, promissumve quid est, ex quo dictum, aut promissum est. *L. 65. tit. 5. p. 5.* Et etiam si res vitio careat: si venditor asseveravit cum promissione habere certas qualitates, redhibitoria tenetur. *L. 18. 19. §. 1. ff. de Edict. edict. secus si iactationis, vel commendationis gratia hoc dixit. L. 19. §. 3. ff. eod. si venditor rei vitium ignoravit, non datur contra eum Redhibitoria, sed tantum estimatoria. L. 13. ff. de Act. empt. 2. ergo actio, quae contra venditorem datur, est estimatoria, seu quanto minoris, esseque actio personalis, & bonae fidei, qua emptor, aut illius haeres agit adversus venditorem, & illius haeres, ut salvo manente contractu, hic restituat de pretio accepto, quanto minoris vendi alter emisset, si cognovisset rei vitium. *L. 48. §. 1. 61. ff. de Edict. edict. l. 64. tit. 5. p. 5.* Et durat uno anno utili. *L. 19. §. fin. ff. de Edict. l. 65. tit. 5. p. 5.* Ut haec actiones dentur, vitium debet esse non leve. *L. 1. §. 8. ff. de Edict. edict. & antecedens venditionem. L. 54. ff. eod. nisi brevi appareat, tunc enim praesumitur antecessisse. Arg. *L. 22. ff. de i. r. cur. & latens quidem, nam si manifestum est, vel facile deprehendi potuit, non est locus Redhibitoria. L. 1. §. 6. de Edict. edict. l. 66. tit. 5. p. 5.* quod si res sit animata: vitium corporis, non animi, attenditur, nisi in corpus redundet, v. gr. si servus sit furiosus, vel fugitivus. *L. 1. §. 10. l. 4. §. 4. ff. Edict. edict.***

160. Emptor tenetur alternativè venditorem monere de mercis perfectione, & defectu pretij, vel ad pretium augendum usque ad mercis valorem, ut sic inter mercem, & pretium iusta servetur aequalitas. *D. Tb. 2. q. 77. art. 2. in corp. Navar. Man. cap. 23. n. 89. & com. DD.* nec potest securè, & licitè emptor offerre infra iustum pretium infimum venditori, quando is ignorat verum rei valorem, etiam si venditor ab emptore inductus, dicat, se ei condonare, si res amplius valeat, quia ob venditoris ignorantiam hæc donatio plus de necessario, quam de voluntario habet, & tenetur in conscientia ad restitutionem usque ad integrum valorem infimum rei, sic contra Capet. in Sum. V. Empt. num. 2. tenent Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 353. n. 11. & alij, si uterque ignoret pretium rei, cum uterque rem

sorti, & fortuna committat, valet emptio, nec postea detecto errore datur onus restituendi. Qui scit infundo alieno latere thesaurum, vel fodinas falis, metaliorum, vel lapidum pretiosorum, vel esse herbas ad medicinam valde utiles, potest illum emere pretio communi, ac si talia in ipso non invenirentur, quia sequendo communem hominum estimationem pretium iustum dat. *D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 5. n. 62. Leg. Molin. & alij, & innuitur in parabola de inventore thesauri. Matth. 13. v. 44. sanè emptor debet solvere pretium conventum, si iustum sit, etiam si summum, vel rigorosum, & quidem si convenit de solvendo in auro, nequit solvere in argento: pacta enim iusta custodienda sunt. c. 1. de Pact. & in loco assignato. Vel si nullus assignatus est, ubi merx traditur, fiet solutio. Si dies est assignatus solutioni, cum dies interpellat pro homine, in eo die fit solutio, quamvis venditor non urgeat. c. fin. de Locat. & conduct. l. 12. c. de Contrab. & commis. stipul. si nullus dies praefixus est, & venditor solutionem petat, statim constituitur emptor in mora. *L. 41. §. 1. ff. de Verb. obligat. l. 21. ff. Quando dies legat. si non petat, venietur in dilationem consentire, nisi non petat ex ignorantia, timore, impotentia, vel desperatione obtinendi solutionem. Si emptor fuerit in mora culpabili pretium solvendi, tenetur non tantum de dolo, & culpa lata, sed & de levi, sicut venditor si tempore debito mercem non tradat. *L. 3. l. 11. ff. de Peric. & com. cum iste contractus utriusque gratiam respiciat; arg. *L. 5. §. 2. ff. Commodat. et si post mercem traditam emptor non solvat pretium ad usuras tenetur. *L. 13. §. 20. ff. de Act. emp. hoc est, ad lucrum cessans, damnum emergens, & periculum amittendi solutionem, nisi eis venditor renuntiaverit. Covarr. l. 3. Var. c. 4. n. 3. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 368. n. 17. Præterea emptor debet solvere in legitima, & proba moneta, nec enim in moneta adulterina, qua ab alio foret ipse deceptus est, potest solvere: quippe ex hoc non adquisivit jus alium decipiendi: Imò si ignorans solvit, venditorem monebit, & legitimam monetam subfiliet, alias non datur aequalitas inter rem, & pretium. Si moneta æquet pretium iustum mercis, etiam si venditor credidisset, esse majoris valoris, quam est, non tenetur emptor cum monere, nec quando scit, brevi valorem monetæ esse minuendum. Et sufficit,*****

tit, quod moneta sit usualis in loco contractus, licet alibi quo venditor velit monetam apportare, non sit usualis, quia ad aequalitatem contractus attenditur locus ubi celebratur.

161. In venditione aliquando conceditur retractus, præcipue in favorem consanguineorum venditoris. Retractus ergo, seu jus protimiseos est redemptio rei venditæ, eodem oblato pretio, facta ab aliquo, jure sibi concessa à Lego, vel consuetudine, vel pacto. Hoc quidem jus, quod *L. 14. C. de Contrab. empt. abrogatum fuerat, ab omnibus ferè Nationibus admissum est. Et quidem communiter conceditur propter consanguinitatem, & dicitur Retractus Gentilitius, competitque consanguineis (non verò affinibus) propinquiioribus venditoris, masculis, vel foeminis, Clericis, vel Laicis, legitimis tamen, non verò naturalibus, vel spurjis. Quod quidem jus conceditur ad retrahenda bona immobilia, & eorum jura præsertim Gentilitia: non verò extenditur ad mobilia, etiam pretiosa. c. 8. de in Integr. restit. Nec in hoc jure locus representationi datur; arg. *L. 3. §. 5. ff. de Legit. Tutor. Nec item transit ad haereses: sed si proximior hoc jure uti nolit, transit ad immediatum consanguineum, & ei qui vult retrahere conceditur annus, & dies. c. 8. de in Integr. restit. & currit à die scientiæ. In nostra Hispania debet retrahi res vendita intra novem dies à die venditionis, & currunt contra absentes, & ignorantes. *Acce. in l. 8. tit. 11. lib. 5. R. C. n. 5. & adversus eorum lapsum non datur restitutio minori, etiam impuberi. *L. 8. tit. 11. lib. 5. R. C. quod si consanguineus propinquiior nolit rem retrahere, potest sequens gradu eam retrahere ex *L. 12. tit. 11. lib. 5. R. C. in qua corrigitur. *L. 7. ejusd. tit. Retractus non habet locum nisi in rebus jure hereditatis à venditore adquisitis. *L. 15. tit. 11. lib. 5. R. C. si verò concurrat cum consanguineo ad rem retrahendam ille, qui habet dominium directum in re vendita, vel superficiarius, vel ille, qui habet partem in re hi omnes præferuntur consanguineo. *L. 13. tit. 11. lib. 5. R. C. *L. 16. ff. de Rebus author. Judic. possid. l. fin. C. de Jur. Emphyteut. l. 34. §. 2. C. de Donation. Etiam datur locus retractui, quando res subhastatur Judicis auctoritate; Hispanè: *Que se vende en Almoneda. *L. 9. tit. 11. lib. 5. R. C. latè *Acce. in dict. tit.************

162. Quia sæpe solet res vendita perire, vel etiam meliorari post venditio-

nem celebratam, dicere oportet; cui cedat periculum, vel commodum rei venditæ, emptori an venditori? Et quidem tenendum est, quod non solum perit emptori res vendita, postquam ipsi jam est tradita, etiam si pretium nondum solutum sit. *L. 11. l. 14. ff. de Peric. & com. quia ejus Dominus est, & res Domino suo perit. *L. 9. C. de Pignor. act. Gom. 2. Var. c. 2. n. 32. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 21. n. 95. Sed etiam si nondum tradita sit, dummodo res absolute vendita, sit certa, & determinata, casu, & sine culpa venditoris pereat, nec in mora culpabili fuerit. *§. 3. Inst. b. t. l. 8. ff. de Periculo, & com. mod. l. 1. C. eod. l. 23. tit. 5. p. 5. Nam semel, ac contractus perfectus est, emptor habet actionem personalem, ac proinde tamquam Dominus habetur, ut res illi pereat. *L. 15. ff. de Reg. jur. l. 14. §. ff. de V. S. Cum enim ad ipsum commodum fructuum, & accessionum pertineat, damnum, & detrimentum pertinere, dicatur natura. *L. 10. ff. de Reg. jur. c. 55. eod. in 6. Hinc ad venditorem periculum pertinet, si res sub conditione vendita, eadem pendente pereat, quia non est perfectus contractus ante conditionis impletionem imò interitu rei contractus dissolvitur. *L. 8. ff. de Peric. & com. mod. deteriorario tamen pertinet ad emptorem conditione impleta. *L. 16. tit. 5. p. 5. Etiam ad venditorem spectat periculum, si contractus in scriptis sit celebrandus, & ante scripturam res pereat; quia nondum perfectus censetur; arg. *L. 4. C. de Periculo, & com. mod. vel si vinum, vel equus ad probationem venditus ante ipsam pereat, quia adhuc non erat perfecta venditio. *L. 1. & 4. ff. de Peric. & com. vel si res indeterminata vendatur: v. gr. decem modij frumenti, decem oves, & similia. *L. 35. §. 5. & 7. ff. de Contrab. empt. l. 2. C. de Peric. & com. vel si res alternativè, licet determinata, sit vendita: v. gr. Stychnus, vel Pamphilus, quia ante electionem nondum est perfecta venditio. Si enim unus moriatur, perit venditori, & superstes determinate debetur emptori. Si uterque moriatur, primus venditori, secundus emptori perit: nam jam ei hic determinate debebatur. *L. 34. §. 6. ff. de Contrab. empt. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 366. n. 10. Similiter periculum venditoris erit, si venditor fuit in mora culpabili rem tradendi, nisi eodem modo apud emptorem esset res peritura, vel ipse emptor, etiam post venditoris moram, in mora recipiendi fuit, nam tunc emptoris erit periculum.***********

L. 17. ff. de Pericul. & comm. l. 27. tit. 5. p. 5. Item venditoris erit periculum si huius culpa, etiam levi, res pereat: secus si levisimam perierit. L. 3. & 11. ff. de Peric. Si constiterit ante traditionem ob venditoris delictum, etiam est periculum venditoris. L. 33. ff. Licet. Idem est si emptor ex situatione venditoris credidit rem: v. gr. vinum in eadem bonitate diutius duraturum, & ante traditionem deterioratur. L. 15. ff. de Peric. Denique ad venditorem periculum pertinet, quoties ira inter partes fit conventum; arg. L. 23. ff. de Reg. jur. c. 85. eod. in 6. Nam ex conventionem partium contractus legem accipiunt. Sub his limitationibus debent interpretari Textus qui in contrarium citantur.

163. Sicut ad emptorem pertinet periculum rei post perfectam emptionem, etiam ante traditionem, sic etiam, & lucrum, si aliquid rei accidit, ipsi cedit. §. 3. Inst. h. t. l. 23. tit. 5. p. 5. Fructus rei vendita, nondum tradita, percepti ante perfectam venditionem, pertinent ad venditorem, sicut ad ipsum periculum tunc spectat, fructus naturales pendentes post perfectam venditionem, ut pars f. andi. L. 44. ff. de Re v. ad emptorem pertinent. Covar. Var. 1. c. 15. num. 2. Gom. 2. Var. cap. 2. n. 11. Molin. de Just. & jur. tr. 2. D. 368. n. 13. Sicut ad ipsum pertinet periculum, cum enim emptori res debeatur statim, ac perfecta est venditio, habeatque actionem adversus venditorem, Dominus rei censetur, ut ipsi res fructificet. Etiam fructus post venditionem perfectam nati, etiam ante rei traditionem, pertinent ad emptorem, cum jura indiscriminatum loquantur. L. 13. §. 18. ff. de Act. empt. l. 13. C. eod. Sic Silvest. Lessi. de Just. & jur. L. 2. cap. 21. n. 109. & alij, contra Covar. Molin. de Just. tr. 2. D. 368. n. 8. & alios. Si res, v. gr. ades sunt locatae post venditionem perfectam, pensio integrè debetur emptori. Si ante venditionem erant locatae, & post eam adhuc locatio duret, pars pensionis, quae temporariè ante venditionem, respondet, venditori, emptori verò, ea, quae correspondet temporariè post venditionem; arg. L. 13. §. 13. ff. de Act. empt. Accessiones rei venditae, quae quasi ex natura sua ipsi cohaerent, cum ipsa re vendita censentur, nisi excimantur, quia accessorium sequitur principale. L. 19. §. 13. de Auro, & arg. & ibid. Gotfr. L. 28. l. 29. tit. 5. p. 5. v. g. instrumenta authentica ad rem venditam pertinentia, vel saltem copii, ff. de Act. emptor, vel jus patronatus,

sed tamen ob illud nequit pretium rei augeri. Gare. de Benef. p. 5. cap. 9. num. 35. Hinc, si equus, quando venditur ornatus sit, ornamenta censentur vendita, secus si nudus ostendatur. L. 38. ff. de Adilit. editi. Qui vendit baccam, vel equam, vendit etiam fœtum editum, si adhuc lactetur, secus si non lactetur, quia jam per se censetur subsistere. Gomez 2. Var. cap. 2. à n. 12. Illa verò, quae per accidens rei venditae accedunt, & separata utilitatem habent, non censentur vendita: sic si domus vendatur, non venduntur lecticae, picturae, candelabra, & similia, nec pitices inventi in lacu, vel fonte rei venditae, nec gallinae, & alia animalia, quae erant in domo vendita. L. 17. ff. de Act. empt. l. 30. l. 31. tit. 5. p. 5. Et sic de similibus discurrendum est. Sed in fructibus, & accessionibus, pactis conventis standum est. L. 13. §. 10. de Act. empt.

164. Emptio, & venditio, sicut consensu contrahitur, ita contrario consensu resolvitur, dum adhuc fuerit res integra. L. 3. ff. de Rescind. vendit. vel quoad totum, vel quoad partem. L. 4. ff. de Rescind. vendit. L. 7. §. 6. ff. de Pactis, & sufficit consensus tacitus. L. 5. ff. de Rescind. vendit. L. fin. ff. de Acceptil. Et fructus interim percepti, ad emptorem, utpotè verum Dominum pertinent, sed quando utrinque contractus completus est per mercem, & pretij traditionem, non potest dissolvi, nisi nova emptio, & venditio celebretur. L. 2. ff. de Rescind. vendit. Quod si ab una parte est contractus completus, mutuo consensu, dissolvitur, re in pristinum statum reducta per restitutionem pretij, vel mercis. L. 58. ff. de Pactis. Posterior emptio conditionata, non tollit antecedentem absolutam, etiam eorundem contrahentium. L. 7. ff. de Rescind. vendit. Nisi in secunda aliqua utilitas detur, vel circa pretium, vel mercem, vel circumstantias; v. gr. si minor cum autoritate Judicis, vel jam major factus celebret secundam venditionem conditionalem, quae proinde valebit, & confirmabit primam ab ipso sine tali autoritate celebratam. L. 7. §. 1. ff. de Rescind. vendit.

165. In nostra Hispania tenentur omnes venditores in cuiuscumque rei mobilis, sive immobilis venditione, solvere, & quidem regulariter in loco venditionis, quamdam gabellam, quae Hispanè dicitur: Alcauala. L. 1. tit. 17. lib. 9. R. C. Et consistit in decima parte pretij cuiuscumque rei, quae venditur, quae quidem decima Regi solvitur. Hæc gabella fuit introduc-

ta à Rege Alfonso XII. Ann. 1342. Ut ex ea pecunia possent fieri sumptus necessarii ad bellum contra Mauros, & tunc solam vigesima, vel trigesima pars pretij rei venditae solvebatur. Dicitur enim Alcauala, vel à voce Arabica Cavele, quae significat receptionem, vel id, quod recipitur. Covar. Thesaur. Ling. Hispan. V. Alcauala. Alij dicunt, quod Rex Alfonso, cum primo hanc gabellam exegit inistente bello Maurorum dixit in comitijs: Dame gente, à alqueuala, Laffarte, & Castillo, & alij. Et quidem a principio hæc gabella temporalis fuit, sed postea sæpius urgente necessitate, fuit prorogata, & denique in perpetuum fuit itabilata, & etiam habet locum in permutationibus, & aliquando emptor tenetur dimidiam partem gabellae solvere; sed regulariter eam solvit venditor, & quidem nullus eximitur ab ea solvenda, etiam si consuetudine immemoriali muniatur, nisi habeat speciale privilegium. L. 1. tit. 18. lib. 9. R. C. Clerici ergo in sacris constituti, & Ecclesiae, quando sua bona vendunt, non tenentur solvere hanc gabellam. L. 6. tit. 18. lib. 9. R. C. Qui vero vendunt aliquid Ecclesijs, vel Clericis tenentur solvere gabellam tamquam si Laicis venderent. L. 8. tit. 18. lib. 9. R. C. Imò, & Clerici, & Ecclesiae solvunt gabellam, quando aliquid vendunt per viam mercaturæ, & negotiationis. L. 7. tit. 18. lib. 9. R. C. Non tamen debetur gabella, quando venduntur libri, arma, panis, nec res in dotem datae, vel quae venduntur Ministris Cruciatæ, & alia. In pluribus Hispaniæ locis sunt à Regibus concessæ: Nundinae: Hispani; Ferias, y Mercados, liberæ ab hac gabella. De quibus, & alijs rebus, & personis privilegiatis agitur in tot. tit. 18. lib. 9. R. C. & latè ibid. Accedo. Hæc gabella, currente tempore, etiam ad aliquas Provincias Indiarum fuit extensa à Philipp. II. ex ann. 1558. L. 1. tit. 13. lib. 8. R. Ind. & solum solvuntur duo pro centum. L. 13. tit. 13. lib. 8. R. Ind. Attamen Indi sunt liberi ab hac gabella. L. 24. tit. 13. lib. 8. R. Ind. de quo late in tot. tit. 13. lib. 8. R. Ind. & Solorz. in Polit. Ind. l. 6. cap. 8. si res pluries vendatur, pluries solvenda est hæc gabella. Accedo, in l. 7. tit. 18. lib. 9. R. C. n. 5. Et debetur in conscientia, etiam si non petatur à publicano, vel gabellario cum onere restitutionis.

Suar. Sot. Covar. & alij apud Solorz.

Polit. Ind. lib. 6. cap. 8.

fol. 972.

166. Locatio, & conductio est contractus, quo persona, vel res aliqua mobilis, vel immobilis, corporalis, vel incorporalis, alteri utenda fruenda pro certo pretio conceditur, vel in perpetuum, vel ad tempus. Et quidem, vel ad tempus modicum, ut triennium, vel minus decennium, vel ad longum tempus, ut in decennium, vel ultra. L. 1. l. 2. tit. 8. p. 5. Estque contractus Juris Gentium, bonæ fidei, & solo consensu initus. Qui rem utendam tradit, & accipit mercedem, dicitur Locator; qui rem accipit utendam, & mercedem solvit, dicitur Conductor; quod si pradium rusticum conduxit, dicitur Inquilinus, si urbanum Colonus, si vestigalia, Publicanus. In locatione non transferitur dominium: & in hoc differt à mutuo, & emptione, & venditione. Quod si contra naturam contractus id agatur, ut res in genere restituatur. L. 31. ff. b. t. cum transferatur dominium, non locatio, fed mutuum, vel alius inominatus contractus erit; arg. L. 80. §. fin. ff. de Contrab. empt. In hoc ergo contractu tantum ad usum conceditur res, & in hoc differt à deposito, in quo ad custodiam: & à pignore, in quo ad securitatem datur; debet intervenire merces: & in hoc differt à precario, & commodato, ubi res gratis conceditur. Et merces debet esse pecunia: & in hoc à contractibus inominatis differt. Merces in locatione debet esse vera, non simulata, certa saltem relatè ad causam, undè certificari possit. §. 1. Inst. b. t. l. 25. ff. eodem, nisi lege, vel consuetudine certa merces taxata sit. Gom. 2. Var. cap. 3. n. 4. Iusta, & æquivalens rei locatae: alias locatio irritabitur, & quidem in pecunia numerata. L. 25. §. 6. ff. b. t. l. 5. §. 2. ff. de Praescript. verbis. l. 1. tit. 8. p. 5. ubi sic Rex N. Alphonsus. Aloguero es propriamente, quando un ome loga a otro obras, que le ha de hacer con su persona, o con su bestia; o otorgar un ome à otro poder de usar de su casa, o de servirse de ella por cierto precio, que le ha de pagar en dineros contados. Cã si otra cosa recibiese, que non fuesen dineros contados, non seria loguero, mas seria contrato inominado. E arrendamiento, segun el lenguaje de España, es arrendar de arrendamiento, o almorisado, o alguna otra cosa por renta cierta, que den por ella: & aun